DE STRUCTURA MISSÆ EIUSQUE ELEMENTIS ET PARTIBUS

De silentio

23. Sacrum quoque silentium, tamquam pars celebrationis, suo tempore est servandum.²⁸ Eius autem natura a tempore pendet, quo in singulis celebrationibus occurrit. In actu enim pænitentiali et post invitationem ad orandum singuli ad seipsos convertuntur; lectione autem vel homilia peracta, ea quae audierunt breviter meditantur; post communionem vero in corde suo Deum laudant et orant.

III. DE SINGULIS MISSÆ PARTIBUS

A) Ritus initiales

24. Ea quæ liturgiam verbi præcedunt, scilicet introitus, salutatio, actus pænitentialis, Kýrie, Glória et collecta, characterem habent exordii, introductionis et præparationis.

Finis horum rituum est, ut fideles in unum convenientes communionem constituant et recte ad verbum Dei audiendum digneque Eucharistiam celebrandam sese disponant.

Introitus

25. Populo congregato, dum ingreditur sacerdos cum ministris, cantus ad introitum incipitur. Finis huius cantus est celebrationem aperire, unionem congregatorum fovere, eorumque mentem in mysterium temporis liturgici vel festivitatis introducere atque processionem sacerdotis ministrorumque comitari.

26. Peragitur autem a schola et populo alternatim, vel simili modo a cantore et populo, vel totus a populo vel a schola sola. Adhiberi potest sive antiphona cum suo psalmo in Graduali romano vel in Graduali simplici exstans, sive alius cantus, actioni sacræ, diei vel temporis indoli congruus, cuius textus a Conferentia Episcopali sit approbatus.

Si ad introitum non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote post salutationem.

Salutatio altaris et populi congregati

27. Cum ad presbyterium pervenerint, sacerdos et ministri altare salutant. Venerationis autem significandæ causa, sacerdos et mi-

19

²⁸ Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium, n. 30; S. Congr. Rituum, Instructio Musicam sacram, 5 martii 1967, n. 17: A.A.S. 59 (1967) p. 305.